

ADMONITIO DE ASTRO- logiæ vsu.

Si ij, qui Astrologia calumnianda, nescio quibus vel ignorantia vel improbitatis in-
temperij acti, vlcq; adeo delectantur, ingenij humani imbecillitatem, & multiplices
vitæ casus, & omnium artium, professionum, actionum lapsus, errata, frustrationes, con-
trouersias, considerarent: vtiq; huic nostro studio æquiores essent, & suam quoq; sapien-
tiam, quantacunq; vulgo habeatur, non aliud nisi ambiguum quoddam somnium esse,
quod vir sapientissimus Socrates, ingenuè confessus est, intelligerent. Nunc haud scio qui
fiat, ut Lamiarum plena sint omnia, & paucissimi videant manticae quod in tergo est, ut
ille ait. Etsi autem vel calumniatrices linguas reprimere, vel pertinaciam à semel concepta
opinionem deducere, vel morbum incurabilem stulticiam depellere conari, summe demer-
itiæ fuerit, nec aliud quàm laterem aut Æthiopem lauare: tamen quia plures sunt medio-
eres naturæ, quæ agnita veritate cognitum errorem libenter deponunt: operam dabo, ut
ad argumenta aduersariorum non omnia (id enim non nisi iusto volumine posset fieri) sed
ad ea quæ maximè in promptu sunt, breuiter respondeam, & diuinæ huius artis vsu,
vtcunq; declarem.

Principio si eæ res abiiciendæ & conculcandæ erunt, quæ vel in multorū (addo etiam
autoritate præstantium hominum) reprehensionem incurrunt, vel controuersijs, ijsq; nec
paucis nec leuib; inuolutæ sunt: nec Theologia, nec Iuris prudentia, nec Medicina, nec
summum naturæ humanæ bonum, princeps ac Regina & mater omnium bonarum arti-
um, vitæ dux, animi quies vnica, summæq; delitiæ Philosophia, (ut cæteras taceam) di-
gnitatem suam retinebunt. Sin ista his non nocent (cur verò nocerent? quid enim iniquius
est, quàm res non sua natura, sed improborum & stultorum hominum calumnijs æstima-
re?) iniquum fuerit, solam Astrologiam deteriore conditione esse velle, & plumbeo infir-
mæ autoritatis pugiunculo confossum esse scilicet, iudicare: quam quidem autoritatem, si
in libera ciuitate libera lingua vti liceret, ita refutarem, ut insolentes illos homines sui pu-
deret & pœniteret. Profecto suo malo discerent, eum qui alios reprehendere velit, omni
culpa & crimine vacare oportere, & summæ esse stultitiæ, ijs machinis alios oppugnare,
quibus facillimè ad hostes translatis, omnes ipsorū munitiones primo ictu corruunt. Sed
temperandum est calamo, & respondendum alteri cauillationi. Summis laudibus digna
fuit Pythagoræ diligentia & solertia, qui in suam disciplinam recipiebat neminè, nisi pri-
us omnibus corporis lineamentis accuratè perspectis: Idem patrum quoq; nostrorū me-
moria in pueris ad rem equestrem deligendis factum esse constat. Nunc haud scio quo
malo fato sit, ut aut fatui aut improbi ferè homines omnium disciplinarum possessionem
impunè inuadant. Cui rei ut obliſteretur, scholasticæ olim dignitates, quos gradus vulgo
dicunt, optimo sanè consilio institutæ fuerunt, ut quemadmodum opificibus in bene con-
stituta ciuitate artem suam, nisi à magistris, illustri edito specimine probatam, facere non
licet, ita in numero doctorum nemo haberetur, nisi ingenij, doctrinæ, integritatis vitæ, pu-
blicum testimonium eruditorum, quo imperiti niterentur, attulisset. Nunc quia non fabri
tantum, sed subulci etiam & latrones aliquando fabrilia tractare instituunt: in quanto con-
temptu & odio sint disciplinæ omnes, videmus, & communis illius calamitatis Astrolo-
giam quoq; partem capere non minimam, eò minus est mirandum, quo plura ad iustam
eius cognitionem requiruntur. Neq; uerò impudentia, temeritas, arrogantia, ignorantia
professorum, ueritati obstare debet, aut ipsam artem eleuare aut infamare. Opponantur
imperitis circulatoribus, Nigidij, Sosigenes, Thrasylli, Ascletariones, & innumeri alij,
quorum certissima oracula prodita sunt in historijs, nec ætati nostræ exempla desunt, si ve-
rum sine inuidia fateri libeat.

Neq; tamen interim negandum est, plausibilia contra ipsam artem argumenta afferri,
ut de concitatissima cæli conuersione, de incerto puncto vel concepti vel editi infantis, de
dissimilibus moribus & fortunis gemellorum, quorum alter alterum non longiore forsi-
tan interuallo sequatur, q̄ quanto plerunq; à vero natiuitatis puncto propter obseruatio-
nis